

ambitu minoris circuli: sicut scapha differt à navi. Casp.
Klock, *de Contrib.* c. 4. n. 251.

XLVII.

Comitum vero dignitatem proximè attingunt Barones, & pares in plarisq; apud Germanos censentur. De horum vero origine & nominis derivatione multa disserere hac vice superledeò; sed, ut multa paucis complectar, concludo: Barones qui immediate Imperio subsunt, & cum Baronali ac regali dignitate, territorialique superioritate sunt investiti, in toto Baronatu quo ad personas & causas eandem quoque quam Principes & Comites in Principatibus & Comitibus vim obtinere.

XLIX.

Etsi vero Principibus inferioribus maxima omnium Majestatis jura non communicentur, quia ossibus & personæ Imperatoris ita inhærere dicuntur ut ab eo separari sine illius destructione non possint: Tamen cum jus collectandi ac tributa imponendi inter minora non verò maxima & merè regalia referatur; illud Ducibus Marchionibus, Comitibus & aliis cum regali dignitate perpetuò investitis, competere quadamtenus omni dubio caret.

XLIX.

Verum enimvero sunt nonnulli, qui liberis ac Imperialibus Germaniæ civitatibus inhabilitatem Regalia possidendi objicere non reformidant: eo quod exceptà Româ novâ & Veteri nulla civitas dignitatis gradui annumeratur *l. 3. §. quod si alterutrum C. de nat. lib.* Imo quod nullus nisi qui dignitatem Regalem Principatus Marchionatus vel Comitatus per investituram aut aliam specialem concessionem acquisiverit, Regalia vel in universum vel in particulari sibi arrogare queat.

L. Sed